



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 33. Bellicus Reginæ apparatus contra Hispaniam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

pi, qui summo cum imperio a Philip-
po II., sub cuius auspiciis expeditio su-
scipitur, ei præpositus est, quoad omnia
obediant: proposita quoque fuere am-
pla illis præmia, qui in Elisabetham
manus injicerent, eam caperent, &
Catholicæ parti ad sumendum de ea sup-
plicium traderent; demum clausula fo-
lemni Pontifex ex Ecclesiæ promptuario
fidei suæ, ac dispensationi credito opes
depromit, & plenam delictorum om-
nium iis, qui huic expeditioni nomen
darent, gratiam facit: præterea con-
ventum est, ut Philippus regnum An-
glicum ad Ecclesiæ obedientiam reda-
ctum, tanquam sacræ Sedis beneficia-
rium a Pontifice, cum titulo defen-
soris fidei, acciperet,

SÆCUL. XVI.
A.C. 1588.

§. XXXIII.

*Bellicus Reginae apparatus contra
Hispaniam.*

Attamen immoderatius hoc summi *Thuan. l.c.*
Pontificis studium Hispaniæ Regis
molimina suo successu frustrabatur; cum
enim Regina hinc Papæ diploma, at-
que illinc validos Hispaniæ classis ap-
paratus fieri cerneret, simulque præ-
maturum scriptum Alani Cardinalis,
qui suam potestatem exercendi avidita-
te plus æquo stimulabatur, conspiceret,
hinc aduersus machinationes, quæ
non nisi

Sæcul. XVI.A.C. 1588.

nonnisi ex inopinato insultu prosperum exitum fortiri poterant, sepe præmuni-
re serio meditabatur: præprimis vero ad Parmensem Principem hæc prescri-
bebat: „Omni ex parte te bellum ad-
versus me parare nuntiatur, hinc a te
„peto, ut disertis verbis declares, an
„Pontificis diploma executioni dare jus-
sus fueris: porro si id verum est, meos
„Deputatos, qui de pace ineunda Bur-
„burgi agunt, rovocabo:,, Parmensis
Dux natione Italus, atque ingenio acer,
dissimulatione utendum ratus ad hæc
nonnisi ambiguis verbis respondit: qua-
propter Regina rem facile subodorata,
ad suam defensionem cuncta necessaria
sedulo parabat, solutisque colloquiis,
Senatum suum convocabat, qui etiam
ei omnem opem, quam sperare pote-
rat, largiter pollicebatur: mox vero il-
la in Foederatis Provinciis, quotquot
poterat, maximo numero naves armis
instrui, easque Plimuthi, atque in
Britannico Oceano congregari iussit: in-
super Regni militibus undique collectis
bina castra locabat, quorum primum
Tamesis fauces, alterum vero viciniora
Londini loca obsidebat: præterea
omnes Catholicos, quorum fidem sibi
magis suspectam habebat, comprehen-
di, ceteros vero armis spoliari, cun-
ctasque

ctasque illorum actiones sedulo explora-
ri jubebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1588.

§. XXXIV.

*Hispana classis fretum Anglicum in-
gressa, dissipataque.*

Interea classis, quam Hispaniæ Rex pro *Thuan.* &
Spond. l. c. Anglica expeditione destinaverat, se-
se mari commiserat. Erat saepe hæc
classis omnium, quæ unquam Ocea-
num ingressæ sunt, longe validissima,
quippe centum quinquaginta omnis ge-
neris navibus instructa, quæ non modo
plusquam ad integrum semestre omni
apparatu, atque annona abunde erat
provisa, sed etiam præter numerosum
exercitum quamplurimos diversorum
Ordinum Religiosos vehebat, qui exscen-
sione facta populos hortarentur, ut ad
Ecclesiæ Romanæ obsequium redirent;
Hispani enim credi volebant, quod so-
lius Religionis defendendæ studio hanc
expeditionem suscepissent: insuper ni-
hil eorum prætermittebatur, quæ clas-
sem a tempestatum sævitia præmuni-
re poterant; hac autem circumspectio-
ne Hispani haud obscure sibi futuram
calamitatem præfigire videbantur, quip-
pe classis vix Ulyssiponensem portum
egressa mox tam acerba ventorum vio-
lentia jactabatur, ut ægre admodum
naves hinc inde dispersæ in Coronæ por-

ta